

amicorum gratiam negotium extrahendo, regios jussus frustra-
rentur, suspicabantur: qui, ut multa afferre, quibus iniquas
actiones defenderent, niterentur, id tandem unum objicie-
bant, infidelium Regisque hostium bona ubicumque inve-
nissent, jure capere, suaque efficere posse. Verum quam ina-
nia hæc forent, quantum sceleribus ac rapinis religionem di-
vinumque numen obtendere turpe esset, nemo sanæ mentis
ignorabat; jus gentium violari, maria infesta reddi, amicæ
Reipublicæ res negotiaque negligi. Superantius a Philippo ad
Proreges literas impetravit, quibus, ut a Venetis navigiis
abstinerent, ne mercimonia scrutarentur, ne impofterum præ-
datoria navigia emitterent, de præda quid juris esset decer-
neretur, jubebat. Hæc Philippi mandata licet opportuna vi-
derentur, attamen haud obscure avaritia ac libido ministro-
rum in eisdem interpretandis corrumpebat, cum dicerent, lon-
ge aliud esse, in navigia inquire, atque de hostibus certiores
factos, eorum bona diripere atque occupare. Itaque neque
prædas restituere, neque galeones exarmare, neque regiis jus-
sis obtemperare: idque imprimis pessimo exemplo cessurum
erat, si gravia ac publica negotia privatorum judiciis com-
mitterentur; mora namque & commentis defessis ac debilita-
tis negotiatoribus, per oblivionem rei sibi iniquum lucrum
ministros quæsituros.

Itaque Patres extra ordinem legatum in Hispaniam mit-
tendum censuere: Octaviano Bono decreta legatio. Is statim,
æstate fervente licet, Madritum contendit; Philippo de iis,
quæ hucusque gesserat, gratias agit; Reipublicæ causam tue-
tur; ut rem perficiat, rogat. Petitionum summa fuit, cujus-
cumque gentis facultates a navigiis Venetis ablatae, integræ
restituerentur, piratæ atque eorum fautores debitis poenis
plecterentur, impofterum ex Neapolis ac Sicilia regnis præ-
datoria navigia ne exire permitterentur. Inde quot ex iis
excursionibus incommoda oriantur, persequitur: jura gen-
tium perturbari, commercia subditorum imminui, publicos
proventus ac vectigalia exhauriri; iniquum esse, homines otio
deditos raptò vivere, aliorumque labore & industria dita-
ri; hæc non Philippum patrem, non Carolum Cæsarem
avum tulisse, qui singulari sapientia ac prudentia excursions

H. Mauroceni T. III.

T

inhi-

1601

Philippi
Regis man-
data mini-
strorum cal-
liditate non
peraguntur.

Octavianus
Bonus, ora-
tor ad Hi-
spaniæ Re-
gem, & ejus
officium.